



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita Francisci Borgiae Tertij Societatis Iesv Generalis**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Mogvntiae, 1603**

IX. Commissa Francisco Hispaniarum, Indiaru[m]que Societatis prouincia

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45256**

## CAPVT IX.

*Commissa FRANCISCO Hispania-  
rum, Indiarumque Societatis  
prouincia.*

BENEREM gerere FRANCIS-  
CO V M viderat Ignatius, vt  
quas res cumque aggrederetur,  
ad felicem exitum adduceret.  
Vniuersæ itaque Hispaniæ So-  
cijs præficere decreuit. Erat  
iam tum Lusitania singularis  
prouincia: reliquam Hispania-  
rum partem Doctor Araoz,  
Ignati jussu, regebat. Crescen-  
te verò in dies Collegiorum nu-  
mero, oneri f:rendo parem se  
esse negabat. Placuit itaque  
Ignatio utriusque Castellæ, vt  
hodie vocant, Prouincialema  
Præfectum renunciare, quo le-  
uius onus Araoz haberet. Acces-  
serat prouinciæ rursum duæ, Ba-  
tica,

tica, & Aragonensis. His in uniuersum quinque Societatis in Hispania prouincijs, & Indiarū Orientis impositus ab Ignatio FRANCISCVS, commissaque ei generatim administrandæ Societatis cura. Ille verò onus detrectare, latere se malle, obscurum viuere, sibique & Deo vacare. At Ignatius, datis ad eum literis imperare; DEO ita placitum. Quare, vt adhuc fecerat, dicto audiens esset; Societatem ad perfectæ vitæ rationem exemplo, consilioque vocaret: numerum augeret, quo ad posset, cum delectu tamen, & prudenter. Lustraret item, obiretq; collegia Sociorum; quæ instauraret; proueheretque iam cœpta. Quod ab itineribus reliquum esset temporis, in regia consumaret: ibi enim commodum fo-

re,

re, & pietatis negocium promouere, & literas quaqua versum mittere. Paruit, cessitq; , qua erat animi dimissione, FRANCISCVS Ignatij iussis: & vero in difficulti hac administrandæ prouinciæ ratione, ratus, quod res erat, fore ut rationem D E O reddere creditarum sibi animarum aliquando cogeretur, licet antea in se ipse saeuus esset quæsitor, tūc tamen facere omnia diligentius, accuratiusque cœpit: illud interdum mente repetens, *Nunc cœpi.* Psa. 76.

Iam enim legibus quasi solutus, & inspectore carens, morumq; custode, immoderatius in se ipse animaduertit vigiliis, ieuniis, & flagris, valetudinem ut non parum labefactarit. Quare cognita, Ignatius factum absens reprehendere, modum in omni re, in asceticis quoque exercitationibus

bus seruandum, ut superesse pos-  
simus. Sacerdotē itaq; senē ad-  
didit, cuius consilio pœnitentia  
effecta regeret; valetudinisq; ne  
læsisse eā temere videretur, ratio-  
nē haberet. Dici vix potest, quo<sup>t</sup>,  
quantaque Sociis emolumenta,  
exterisq; in Hispania runc attu-  
lerit. Recens n. etiā tum Societas  
erat, & à multis oppugnabatur,  
ut fere fit maxime in ipsa origi-  
ne. A se primū initiū ducere con-  
stituit; & rogare in primis Deum,  
ut q̄ humeris onus imposuisset,  
idē etiā vires, ferendo oneri pa-  
res, sufficeret. Collegia partim  
inchoata prouexit, ad rectumq;  
perduxit; partim etiam inchoa-  
uit; quæ maius post incremen-  
tum sumpserunt.

CAPVT X.  
*Collegiorum Placentini, & Hispa-  
nensis origo.*

Duorum